DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NICOLAUS MARTIN,

Scotus.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

SUO FRATRI CARISSIMO

DONALDO MARTIN ARMIGERO,

IN DEMERARIA

ARTEM CHIRURGICAM FACIENTI,

OB MULTA BENEFICIA,

EX PIETATE EXIMIA, PLUS QUAM PATERNA,

IN SE

MANU HAUD PARCA COLLATA,

HAS SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS,

QUÆCUNQUE SINT,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ, ET ANIMI GRATISSIMI

PIGNUS, SIMUL ATQUE MONUMENTUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

NECNON

JACOBO CORKINDALE, M. D.

TAM SCIENTIA MEDICA, QUAM VARIA DOCTRINA

INSIGNI,

LITERIS GRÆCIS ATQUE LATINIS

APPRIME IMBUTO,

EJUS BENIGNITATIS PLURIMÆ

IN SE,

PER QUADRIENNIUM EJUS DISCIPULUM,

HAUD IMMEMOR,

HOC OPUSCULUM,

GRATO CUM ANIMO,

DAT DEDICATQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

Auctore NICOLAO MARTIN.

PROŒMIUM.

HUNC morbum, de quo nunc mihi pauca dicendum est, medicorum primus, quantum certe scimus, luculenter et accurate descripsit PAISLEY, peritus chirurgus Glasguensis *.

Confitendum vero est, medicis antiquis, saltem ex parte notum fuisse, præcipue HIPPOCRATI,

* Edin. Med. Essays, vol. iii. A. xxiii.

qui quædam signa ei propria haud inepte notavit. "Si," inquit ille Princeps Medicorum, "aqua in cerebro suborta fuerit, dolor acutus per sinciput ac tempora emergit, alias alio loco. Subindeque rigor ac febris, oculorum regiones dolor occupat, iique caligant, pupilla finditur; et ex uno duo sibi cernere homines videntur: et siquis surrexit, tenebræ ipsum prehendunt; neque ventum neque solem sustinet: aures tinniunt: salivam et pituitam vomitione refundit, quandoque etiam cibos *." Petit quoque, qui inter recentiores medicos ante Paisley florebat, notas quibus hic morbus insigniatur præcipuas quasdam, literis prodidit. Descriptio vero, quam hi auctores de hoc morbo fecerunt, a cæteris medicis male intellecta fuit; nec solers curatio adhiberi solita est, neque profecto animadversum fuit, quibus signis discrepat a *Hydrocephalo* sic dicto *longo;* quo caput, mirum sæpe in modum, magnitudine increscit.

Ex quo tempore signa hujusce morbi descripsit Paisley, naturam ejus luculentius exposuerunt Whyte, Fothergill, Quin, Rush, Smyth, Cheyne et Golis, medici omnes sane magni

---

* Hippocrates de Morbis, lib. ii.

nominis, quique suis operibus de re medica optime meruerunt.

Quocirca est mihi in animo ex eorum scriptis ejus signa, ut quæque memoria digna videantur, hic loci depromere; itemque naturam ejus ac curationem breviter exponere.

DE DEFINITIONE.

Multum discrepat inter scriptores, qui morbos ordinate disponunt, quo loco systematis nosologici noster morbus collocari debeat. Propter ejus naturam male intellectum, quasi ratio ad laticem aquosum in ventriculis cerebri collectum tantum adhibenda sit, scriptores nosologici priores eum ad Hydropes retulerunt. Ex signis, quæ sub finem morbi in conspectum veniunt, quæque cerebrum, ut fit in Apoplexia, compressionem pati ostendunt, Cullenus ad Neuroses et Comata refert, et nomine Apoplexia Hydrocephalica utitur. Alii vero reeentiores eam esse Phrenitidis speciem contendunt, quoniam sub initio stipatur signis, quæ cerebrum ejusque membranas inflammatione affecta esse produnt.

Definitio hujus morbi quam CULLENUS composuit, correxitque GREGORIUS, mihi maxime arridet. "Apoplexia Hydrocephalica paulatim adoriens; infantes et impuberes plerumque, primum lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore tandem frequentiore, pupillæ dilatatione, strabismo et somnolentia afficiens."

DE HISTORIA.

IMPUBERES, omnibus confitentibus, Apoplexiæ Hydrocephalicæ adultis opportuniores sunt; ex impuberibus vero, qui delicata corporis compage et ingenio præcoci præditi sunt, aut parentibus strumosis oriantur.

Autem impuberes nequaquam solos corripit hic morbus. Haud raro vel adultos afficit obtruncatque.

WHYTT primum, et omnes fere exinde medici, propter mutationes insignes, quas, procedente hoc morbo, motus arteriarum, subire solent, ejus decursum in tria stadia aut spatia dividerunt *.

* GOLIS decursum morbi dispertit in stadia quatuor; primum stadium in duo, scilicet *Turgescentiæ*, et Inflamma-

Signa præcipua, quæ singulis stadiis propria sint, quæque suo ordine sequuntur.

Stadium Primum.

INGRUENTE Apoplexia Hydrocephalica, æger multum languet, moveri piget, queribundus jacet, nec tamem ulla corporis parte præ cæteris dolet; sæpe nimio somni gravescit.

Subinde hæc ineuntis invaletudinis signa incerta se remittunt; ægrotans fit hilaris; et ad bonam firmam valetudinem revertisse videtur. Hæc vero mali intercapedo semper fallax, plerumque exiguum per tempus durat; namque paulo post ventriculus male sese habere incipit: cibos fastidit, nec bene concoquit; nauseat, etiam redundat, ac quicquid ingestum fuerit, bis terve indies rejicere solet. Nunc totum corripitur corpus, oriturque febris, aut saltem febricula, quæ sæpius, at intervallis incertis, remittit, atque in-

---

tionis ab eo dividitur; at stadia, sic dieta, Effusionis et Paralyseos eadem sunt ut duo ultima stadia auctorum aliorum.

tenditur; aliquando etiam ex toto intermittit, adeo ut æger apyrexia perfecta fruatur. Haud raro febris quæ mane cessat, aut remissionem notabilem ostendit, hora vespertina singulis diebus reverti gaudet. Interea arteriæ solito frequentius ac celerius micant, atque sæpe amplius centies sexagesima horæ parte moventur. Pulsus sæpe inæqualis fit, et interdum intermittitur. Cutis summa (quæ raro rubrior quam solita fit), præcipue circa caput et præcordia, calet et arescit; nonnunquam vero hisce in partibus sudores frigidi ac glutinosi erumpunt. Æger admodum sitit, lingua plerumque est albida, nonnunquam nitida; sub finem rubra atque aphthis obducta evadit. Oculi, quoniam retina sensu solito acriore prædita sit, ægre lucem tolerant, atque candelas propius admotas refugiunt. Huc et illuc volitant, aliquando tandem se figunt adque laquearia tecti sola intuentur *. Sæpe nec plene aper-

* Hoc signum, auctore Gallico testante, clare morbum depingit: "Que, (ait ille), le regard constamment fixé vers le plafond est un des signes les plus funestes de la congestion cerebrale dans le jeune age."—Vid. Piorry, &c. l'Irritation Encephalique des Enfans, pag. 79.

ti, nec clausi manent; corneaque lucida sub palpebra superiore se condere gaudet. Aures quoque, suis nervis similiter affectis, sonos nimis acute sentiunt.

Æger interea spiritum solito crebrius accipit et reddit, nec dormit placide; sæpe e somno cum timore vano et ullulatu aut suspirio profundo, expergiscitur. Inter somnum mussitat ac dentibus subinde stridet, naresque, quæ plerumque aridæ sunt, unguibus assidue carpit, quo guttulæ paucæ sanguinis ex iis interdum stillant.

Jam etiam ab morbi initio dolet caput, interdum totum, interdum pars tantum, vertex, nempe, aut frons supra orbitos incumbens. Dolor quamdiu maxime urget, semper sub vespere gravescit, et vices cum nausea atque vomitu alternat.

Aliæ autem partes sæpe dolentur, veluti collum, intervallum inter scapulas, interdum brachia et crura, at nonnunquam venter imus. His partibus dolentibus, caput quadem intercapedine doloris fruitur.

Alvus a primo morbi ingressu astringitur, neque, nisi cum acrioribus medicamentis, solvi potest. Flatus rarius solito emittitur. Interdum vero post astrictam alvum, dejectiones fœtidæ et

subvirides copiose redduntur. Urina quoque parca evadit, nec facile excerni potest, atque sæpe aliquid turbidum, albidum et glutinosum deponit. Signa nunc memorata, morbo suum decursum absolvente, gradatim ingravescunt; præcipue dolor capitis intenditur, et vomitio magis urget. Oculi perversi sunt; pupilla utraque ampliatur, præsertim ea oculi, qui ad nasem inclinatur. Quum axes oculorum sibi non parallelæ[1] sint, æger, omnia naturaliter singula, quasi bina videt. Adulti hoc morbo correpti, mente alienantur: impuberes vero plerumque sopore opprimuntur. Musculi sincipiti adhærentes, spasmo quodam affecti, caput retrorsum flectunt. Æger decumbere in lecto gaudet; truncum sui corporis erigere raro potest, nam in hoc statu aut deliquium animi, aut dolores acutos patitur. Abdomen minus rotundum videtur; quasi contractum versus spinam, retrahitur.

Stadium Secundum.

Pleraque signa jam enumerata, morbo progrediente, magis ingravescunt; at pulsus solito tardior, et coma profundum hoc secundum stadi-

um incepisse notant. Hæc mutatio, prout sit morbus gravior aut levior, decimo quinto plerumque vel vigesimo adversæ valetudinis die accidit. Arteriæ nunc multum solito tardius moventur, pulsusque inter sese tam vi quam intervallo admodum differunt. Calor tamen summæ cutis auctus manet, imo sæpe intenditur, ac mordax pungensque sentitur. Alvus adhuc minus apta solvendo restat; at dolor acutus, quo caput afflictum fuerit, plerumque multum levatur; stupor potius atque torpor urgent obruuntque. Æger interea motum vel levissimum timet, nec suum locum mutare curat, manus tantum trementes circa caput, præcipue oculos, auresque versat; crura quoque huc et illuc frequenter jactat; cibos oblatos avide ingurgitat. Visus aliique sensus omnes hebiti fiunt vel prorsus deficiunt; pupillæ fiunt ampliores, nec luce clariore admota, coarctantur. Respiratio suspiriis multis ac profundis perficitur. Corpus marcescit, cutisque laxa circa membra tabida pendet. Nonnunquam alvus copiosius dejecit; dejectiones vero videntur virides, aquosæ, glutinosæ; ac dolore magno excernuntur. Urina adhuc parca, sæpe, inscio ægro, redditur.

Observatu dignum est, hunc morbum spatio vel secundo progrediente, et jam ad suam finem propinquante, interdum paulisper remittere. In hisce exemplis omnia in melius verti videntur; ægri mentis compotes fiunt; potum cibumque appetunt, ac bene concoquunt, visum vocemque recuperant, et parentes suos vel etiam medicos spe fallace decipiunt. Hæ vero remissiones fugaces sunt; brevi enim æger iisdem ut antea malis urgetur.

Stadium Tertium.

TERTIUM Stadium morbi initur quo tempore, arteriæ denuo celeriter movere incipiunt. Pulsus frequentissimi super quam cuique credibile est perficiuntur; plerumque in sexagesima horæ parte, centum et viginti ad minimum numerati sunt. Arteriæ in uno exemplo, WHYTT testante, ducenties et decies micabantur; in alio, ut GREGORIUS nos certiores fecit, centies et octogesies sexties. Hi pulsus vero multo imbecilius, et, id, quod sane mirum, tam vi quam intervallis sibi æqualibus plerumque sentiuntur. Nonnunquam

interdiu paulo tardiores sunt, at, sole descendente, accelerantur.

Cum eo morbus processerit, æger jacit sopore ac comate obrutus: palpebrarum una vel altera resolvitur, pupillæque, luce admota, magis immobiles fiunt. Oculi, vasis tunicæ *adnatæ* sanguine turgidis, rubent, et tarsi, alter alteri materia mucosa glutinantur; facies interdum sanguine in telam cellulosam extravasato, admodum livet. Altera subinde gena rubore suffunditur, dum altera, ut reliquum corpus, pallet atque friget. Brachia quoque ac crura subrubris maculis apparent suffusa. Corpus, præsertim caput, defluit sudore frigido. Æger nunc tandem devorare nequit; spiritus difficillime perficitur, et post unamquemque expirationem, paulisper interquiescit. Alvus sæpe non, ut antea, pigra est; adeo fæces, ægro nesciente, infra transmittuntur. Vesica quoque, clam ægro, urinam subinde reddit. Musculi alterutrius lateris interdum resolvuntur, at sæpius convelluntur. Caput, musculis nuchæ spastice contractis, magis retrahitur. Æger tandem, facie oculisque ad aspectum terribiliter distortis, membris suis distentione nervorum agita-

tis, pro morbo miserrimo mortem votis multis flagitatam mutat.

Non autem semper hucusque procedit; nam nonnunquam æger ante absumitur, quam sopore aliisque Apoplexiæ signis afficitur. Interdum quoque inter septem dies ab adversæ valetudinis initio, morbo necatur æger; cujus oculi nunquam tamen refugerunt, neque pupillæ, nisi in postremo fere morbi die, dilatatæ sunt; cujusque nec stomachus evomuit, nec caput doluit.

Quum Apoplexiæ Hydrocephalicæ decursus varietur totus, necesse est quod hæc singula spatia e quibus conficitur, sint in aliis ægris alia longitudine. Duobus plerumque tribusve hebdomadis morbus suum cursum finit. Interdum vero, prima adversæ valetudinis hebdomada ægrum tollit. Nonnunquam contra, uti a medicis omni fide dignis accepimus, per tres aut etiam quatuor menses protractus, lente morte consumit. Interdum signa, quæ maxime urgent, remittuntur; nam suturæ cranii hiare incipiunt, caput paulatim magnitudine crescit; hinc æger, suo morbo acuto in longum mutato, intercapedine per plures menses ante mortem fruitur. Experientia docet hanc morbi durationem in diversis ægris diversam, pen-

dere ex cerebro ipso varia irritabilitate prædito, ex varia laticis in ventriculis collectione, ex causis excitantibus varia vi illatis, et sæpe ex remediis plusve minusve aptis, ac tempore fausto adhibitis.

Observatu, porro, dignum est, mala, quibus hic morbus, primo cursus spatio, insignitur, interdum compluries ante urgere, et etiam vicissim intermittere, ac per tempus haud exiguum, bona adsit valetudo, quam ad vitam tollendam morbus properat. Noster enim GREGORIUS, nunquam satis deplorandus, memoravit ægrum, qui postquam signis quibus cognoscitur hic morbus, compluries correptus fuerat, et compluries expertus intermissiones plenas, subito demum animam efflavit.

DE INSPECTIONE CADAVERUM.

JAM primum confitendum est, quod haud raro pauca et ea leviora præter naturam in mortuo fuerant, ope scalpelli, detecta, etiamsi homo ante mortem gravissime laborasset: contra quoque memoratu dignum est, quod aliquando etsi homo, spiritu adhuc superstite, vix ac ne vix quidem

ægrotaverat, in cerebro tamen mortui fuerunt patefacta vitia fere omnia, quæ huic morbo propria habere consueverunt.

Hæc vero vulgo deteguntur. Vasa cerebri sanguine præter naturam turgida, et ventriculi latice seroso distenti, inveniuntur. Vasa sanguine turgent, aliis cerebris pauciora, aliis plura. Sunt maxime conspicua in pia matre, quæ apparet, ac si ejus vasa arte Ruschiana impleta fuissent.

Nonnunquam, ut certiores nos faciunt auctores omni fide digni, dantur plurima exempla, in quibus omne adsit signum, quamobrem effusam in ventriculos aquam suspicemur; nihil tamen, præter vasa sanguine turgida, in cerebris patefactis conspicitur *.

Sæpissime vero in cavis cerebri humor deprehenditur: modo in uno tantum ventriculo laterali aqua continetur; modo alter multo laticis impletur, dum alter pauxillum continet; interdum uterque humore discolore distenditur. Hoc accidit, cum concreverit meatus per quos ventriculi inter se communicare solent. Plerumque vero aqua

---

* Quin.

omnia cava æque implet, at raro inter cerebrum ac membranas detegitur.

Variat quoque latex tam colore quam copia, alias perlucidus alias subflavus, alias subruber. Copia inter uncias duas et sex variatur; nonnunquam multo major vis laticis detegitur. Latex in cerebro deprensus admodum ab aqua Hydropicorum differt; nam minorem, quam hæc, copiam albuminis continet; idcirco illa parcius, quam hæc, acidis aut colore concrescit.

Nonnunquam cerebrum ipsum, eo sani hominis, percipitur mollius, atque minus cohærens, et quasi solutum. Glandula pituitaria, ut compluries conspicatus est PETIT, durior quam solito, extitit. Pia mater sæpe crassior evadit; atque in multis locis duræ matri adhæret. Plexus choroides plerumque præter naturam pallet, et corpuscula plurima, quæ hydatides simulant, interdum sibi adhærentia ostendit. Haud raro etiam tumores magnitudine varii, cum in cerebro, tum in cerebello, detecti sunt. WHYTT in dextro nervorum opticorum thalamo comperit unum, qui magnitudinem ovi Gallinæ retulit.

Quidem ex meis amicis mihi narravit exemplum, in quo, quamvis signa præcipua, quibus de-

finitur noster morbus, omnia adfuerunt; nihil tam aquæ in ventriculis in conspectum venit. In diversis vero cerebri partibus detecta fuerunt viginti et supra corpora variæ molis, a pisi ad juglandis magnitudinem, quæque tunica sibi propria cooperta. Hæc tubera, chemico celeberrimo scrutante, constiterunt ex materia illa, quæ a chymicis Adipocera aut Cholesterina * nominatur. Nec vero prætermittendum est, conglobatas mesenterii glandulas, sæpe majores solito esse, atque induratas aliaque simul conspici signa, ex quibus scrophulam corpori dum vivo delituisset patet.

DE QUIBUS MORBUS AB ALIIS DIGNOSCITUR.

Etsi decursum hujusce morbi in tria stadia dispertire, et notas cuique stadio proprias fuse et absolute describere, liceat; confitendum tamen

* Materia sevo ceti, aut biliariis concretionibus similis, scilicet, quæ alkahole bulliente soluta, inter frigendum, sub forma squamularum instar sericæ nitentium, ex solutione imum petit.—Vid Thomson's Chemistry, vol. iv. pag. 560. Ed. 6th.

est, non semper omnes, quas memoravimus, notas occurrere. Verum enimvero vix, immo ne vix quidem, ullum, datur exemplum, in quo signa constante ordine omnia sequuntur; namque pulsuum arteriarum varietas, pupillarum dilatatio, et immobilitas, capitis dolor, vomitio, et fere quodlibet aliud signum ex toto absint; et in ventriculis tamen cerebri, post mortem, plurimum aquæ affusæ invenietur.

Cum ad hoc animadverteretur, mihi quidem videtur, pro certe scire, ne Apoplexia Hydrocephalica nunc afficiatur æger, qui quibusdam ex malis opprimatur, quæ afferre solet hic morbus, in primis perarduum esse. Forsitan non prius pro certo haberi potest, quam signa omnia eo usque increverunt, ut cognitio certa aut ægro aut medico parum prosit; nam frustra medicina paratur, cum morbus per longas invaluerit moras.

Morbi, qui signa quædam sibi cum Apoplexia Hydrocephalica communia habent, et a quibus haud raro difficile est hunc morbum diagnoscere, sunt verminatio, tabes mesenterica, lentæ febres, et dentitio difficilis. Nobis igitur, ut res ipsa hortari videtur, paucis est dicendum, quibus notis præcipuis noster morbus ab his distinguatur.

Verminatio.—Jam primum omnibus medicis bene notum est, quod ex vermibus alvum erodentibus aut irritantibus plurima oriuntur mala, haud iis dissimilia quæ Apoplexia Hydrocephalica gignere solet. Sic vero animadvertimus, qualia, adversa valetudine ingruente, signa maxime urgent, et quomodo deinde morbus processerit, simulque consideramus, quæ nunc corporis valetudinis essent signa, sæpe utrum vermibus infestetur, an Apoplexia Hydrocephalica urgeatur æger, cognoscere valebimus.

Vermiculatis, et hydrocephalo laborantibus non ita, caput totum fere æqualiter afficitur dolore, qui modo remittit, modo intenditur: tumet, atque pressum dolet abdomen: appetitus est caninus; alvus plerumque solvitur, et mucosa quædam dejicit; pituitam stillant nares; horumque alæ et columna, aut labrum superius, tument: corporis calor, prout celerius vel tardius moveantur arteriæ, vel augescit vel minuitur: et musculi sæpe etiam sub initio convelluntur.

Tabes Mesenterica.—Qui hoc morbo laborant, horum abdomen, laborantium vero hydrocephalo non item, tumidum est, ac tanquam incluso

spiritu intenditur; atque simul mirum in modum marcent extrema membra.

Lentæ Febres.—Lentis Febribus impliciti, haud secus ac hydrocephalo laborantes, aliquandiu ante mortem sopore opprimuntur: illi vero, contra quam hi raro ejulant, aut illis raro pervertuntur oculi, aut pupillæ ampliatæ et immobiles fiunt.

Dentitio difficilis.—Hydrocephalicis et difficulter dentientibus communia hæc sunt; febricula, appetitus deficiens, vomitus, dolor capitis, convulsiones; his vero, at illis non ita, alvus catharticis facile movetur; os præter solitum calescit; rubent et tument gingivæ: oculorumque pupillæ, prout lux clarior aut obscurior admoveatur, semper sese contrahunt, aut ampliantur.

Si igitur quis infans aut impuber febricula, per incertos circuitus remittente aut ingravescente, corripitur; si subinde cibos fastidit, nauseat, et vomit; si caput dolore cruciatur, si oculi lucis sunt impatientes, si alvus quoque sit pigra, timendum est ægrum hoc morbo laborare. At nihil dubii nobis relinquitur, si signa jam recensita emeticis

et catharticis cedere recusant; atque si nunc demum pupillæ se dilatant, distrahuntur oculi, tardescunt arteriæ, hebetant sensus, obruitque ægrum torpor.

DE CAUSIS.

Proclivitas. — A medicis multi memorantur morbi, quibus, ut illis videtur, impuberes Apoplexiæ Hydrocephalicæ proni reddantur. At nobis non licet certe affirmare, alterum morbum, esse alterius causam; nisi hic, observantibus accurate medicis, illum plerumque subsequatur.

Febres igitur diversæ, Rheumatismus, Scarlatina, compluresque alii morbi, quos memorare hic loci supervacuum est, pro causis, quæ ad hydrocephalum proclivitatem gignunt, vulgo a medicis habentur. De hoc vero nexu decet nos nihil certi affirmare; nam multi his morbis correpti, usque ad ultimam senectutem a Hydrocephalo incolumes vixerunt. Sed ut mihi videtur dubitari vix potest, quin strumosi ad hunc morbum opportuniores fiunt: Percival, ut ipse et auctor, videt viginti ægros hoc morbo implicitos, et

ex his undecim ad minimum labem scrophulosam habuerunt. Strumosæ quoque familiæ, de qua SAVAGIUS testatur, omnes infantes sexto suæ ætatis anno eidem morbo succubuerunt.

Haud vero tacendum est, quod hoc morbo pereunt teneri ætate, et impuberes, quorum parentes neque ipsi strumosi sunt, nec strumosa stirpe orti. QUIN nos certiores facit de patre matreque, utrisque strumosa intactis, quorum filii omnes deinceps hoc morbo mortui sunt, dum filiæ incolumes evaserunt. Satis quoque constat, quod quibusdam familiis est propria congenita, et quasi hæreditaria labes, qua earum pueri fere omnes in hunc morbum suo quoque tempore incidunt; at quæ sit hujus labis natura ac indoles, nunc medicis latet et forsitan semper latebit.

Excitantes.—Causæ, quæ morbum in aliquo jam prono excitant, sunt omnia quæcunque, motus cordis et arteriarum incitando, afficiant, ut sanguis versus caput majore copia aut impetu deferatur; aut cerebrum ejusque membranæ inflammatione corripiantur. Talium causarum, aliæ in

caput ipsum directe agunt; aliæ vero in hoc per cæterum corpus.

Ad primum genus referuntur insolatio, calvaria casibus aut ictibus percussa *, cerebrum ip-

---

* Nuper mihi contigit videre duos ægros Apoplexia Hydrocephalica peremptos, in quibus morbus videtur ortus esse a pugni ictu capiti illato. In utroque ægro, morbus suos cursus in ordine peregit, signis fere omnibus sibi propriis stipatus. Adversa valetudo statim ab ictu recepto in capiti, et nulla malorum intercapedine, in mortem desivit. Inspectio quoque cadaverum medico legalis a Vicecomite imperata detexit eadem, quæ in iis Apoplexia Hydrocephalica mortuis vulgo observantur, vasa, scilicet, in cerebro sanguine turgida, ejusque ventriculos latice seroso impletos. Hic oritur quæstio maximi quidem momenti ad rem medicam forensem pertinens, Anne, qui ictum cum hujusmodi eventu alteri dederit, homicidii convictus haberi mereat. Apoplexia Hydrocephalica plerumque e labe congenita, et sæpe sine causa manifesta excitante, adoritur; nec vero absimile videtur, quod vis quælibet capiti illata, in iis jam morbo proclivioribus, plene valet ad excitandam talem inflammationem, qualis exitiali humorum effusione cerebrum opprimat. Vel, si verbis *Relationis* uti licet, " Hydrocephalus is a constitutional disease, which comes on spontaneously, but the train of symptoms, which often proceed slowly, and at last terminate in the fatal issue, may un-

sum motu vehemente concussum, caput, ut sæpissime in ludis puerorum accidit, ac diu demissum; vomitio aut tussis immanis, ac fortasse diuturnus et vehemens vagitus. Sub altero genere comprehenduntur solita profluvia suppressa inveterata ulcera, præcipue circa caput vel pone aures, subito sanata; exanthemata male a summa cuti repulsa, inflammationes a sua sede versus caput translatæ, vel sudor copiosus subito suppressus.

Quoniam vermes alvum erodentes capitis dolorem moveant, ii quoque inter causas, quæ nostrum morbum concitent, a quibusdam annumerati sunt. Confitendum est, quod consortium mirum inter cerebrum ventriculumque per nervos intercedit, ideoque hic, vulnerato aut compresso cerebro, vomitu afficitur; contra caput, ventriculo vino, epulis aut cruditate, onerato, fere semper dolet. Vomitus vero, et dolor sic concitati, sublatis, causis conquiescere solent.

---

doubtedly, in persons predisposed, have been set in motion by such violence applied to the head, even at a remote period; though that violence did not excite very urgent complaints at the time of its infliction."

Proxima.—Quoniam in cerebris ægrorum Appoplexia Hydrocephalica interemptorum, vix non semper aqua invenitur, primi auctores, qui eam scriptis persecuti sunt, pro hydropis specie habentes, putarunt quod proxima ejus causa esse latex serosa, quem aut sanguis nimis tenuis præbuerat, vel arteriæ patulæ et laxatæ exhalaverant, aut fortasse vasa lymphatica effunderant rupta.

Nuper vero QUIN, signis præsertim, quæ primum morbi stadium stipant, attento animo observatis, simulque visis post mortem rite perpensis, inductus, similitudine signorum, quæ ei est cum aliis morbis ex cerebri inflammatione suam originem plane ducentibus, concludit, quod, Apoplexia Hydrocephalica oritur ex vasis cerebri nimis sanguine turgidis, vel ex cerebro ipso quadam inflammatione affecto. "It is," licet ejus verbis uti, "a morbid accumulation of blood in the vessels of the brain, sometimes proceeding to a degree of inflammation, and, generally, but not always, producing an extravasation of watery fluid before death."

Huic sententiæ, utpote tam signis, quam visis

in cadavere, optime congruenti, omnes ferme medici nostris temporibus, assentiunt.

Apoplexia Hydrocephalica, cum primo ingruat, Phrenitidem vulgatam multum simulat. Utriusque morbi hæc sunt communia; vultus præter solitum ruber, arteriæ citius ac fortiter moventes, oculi a lumine abhorrentes, nausea et vomitio, alvus pigra, nec facile medicamentis movenda. Præterea uterque morbus, iisdem causis, insolatione, scilicet, et capiti percusso, diuve demisso, concitari solet.

Observatu quoque dignum est, quod Hydrothorax, pari ratione, nonnunquam ex pulmonibus inflammatione correptis, suam originem ducet.

Hanc esse nostri morbi naturam indolemque, adhuc magis confirmatur ex cadaveribus ferro patefactis; nam qui primo morbi stadio perierunt, eorum cerebra necnon etiam membranæ ea investientes, vasa, super modum sanguine turgida plerumque ostendunt.

DE SIGNORUM RATIONE.

In hac nostræ rei parte, ne multis dicamus,

sat erit nobis observare, omnia fere mala, quibus Apoplexia Hydrocephalica primo suo cursu ægros vexat, ex cerebri ejusque membranarum inflammatione oriri; atque ea, quibus, secundo et postremo miserrimos affligit obruitque; ex lesione, quam a vasis nimis distentis, vel humore affuso oppressum, cerebrum patitur.

Pulsus arteriarum frequentissimus, in stadio ultimo observatus, præcipue ex cerebri compressione provenire videtur; nam idem ex osse cranii depresso evenit, nimirum pulsus in initio tardus, tandem, frequentissimus evadit, sanguinis vero impetus non augetur, immo potius imminuitur. Nam conatus crebriores a vasis faciuntur; at ad undam plenam sanguinis impellendam non valent. Ventriculus igitur cordis, et arteriæ ipsæ non bene depletæ, citius iterum distenduntur, quo ad contractionem novam stimulum sentiunt.

DE PRÆSAGIO EVENTUS.

De iis, qui Apoplexia Hydrocephalica laborant, bonum præsagire non possumus. Pauci, enim, eheu quam paucissimi! semel correpti, huic

illachrymabili tyranno, non succubuerunt. Ne unum quidem WHYTT sanare potuit. Nec MONRO Secundus, nec GREGORIUS miserandis eodem implicatis (eheu! quantillum, repugnante natura, valet ars), medicinam feliciore ave fecerunt. DOBSON vero, PERCIVAL, RUSH, et RUTHERFORD, medici haud parvi nominis, hunc morbum, ut ipsi auctores sunt, sanaverunt. Non licet igitur, nobis, horum medicorum auctoritate fretis, affirmare Apoplexiam Hydrocephalicam prorsus insanabilem esse. Quum tamen ad historias, quas de ea memoriæ mandarunt clarissimi auctores, enixe animadvertamus, nobis plus satis constat, ad eam, postquam signa haud dubia indicarunt, sanandam, parum plerumque posse medicinam quam solertissimam. Consulto, igitur et mature opus est, ne, mora inerte interposita, tantas vires eundo acquirat, ut medico vel peritissimo sanari non possit.

DE CURATIONE.

QUO Apoplexiam Hydrocephalicam, siqua possit, ad sanitatem perducant, medicis summa ope

nitendum est, ut inflammatio, quæ, primo cursus spatio, urget, quam cito discutiatur, deinde, modo hoc fieri non potuerit, ut humor, qui postea cerebrum opprimit, educatur. Hæc sunt, sic dicta, consilia medendi.

Consilium Primum.

Quo inflammatio cerebrum ejusque membranos afficiens tollatur, opus est, non abstinentia solum sed quoque medicamentis ac remediis, nimios cordis et arteriarum motus sedare. De quibus igitur hoc fieri possit, est nobis breviter dicendum.

Sanguinis Detractio.—Utrum sanguis, hoc consilio, e brachio mittendus sit, inter medicos, nullum disputatur. Quibusdam anceps videtur remedium ; nam morbus brevi tempore vires magnopere labefactat, atque ægri ætate plerumque teneri, et sæpe morbis prioribus invalidi, haud bene jacturam sanguinis tollerare possunt. Contra Rush, ut nos certiores sumus, ex teneris quibusdam hoc morbo laborantibus, sanguinem si-

mul iterumque detrahi curavit, nec eventus spem fefellit.

Si ex signis manifestis vis inflammationis magna se prodat, et æger sit validus, et plus justa sanguinis copia abundare videatur, medicus sanguinem e brachio semel bisve detrahere debet. Oportet enim nos non annos solum numerare, sed vires quoque pendere, et considerare, quæ aut quanta morbi vis sit, quo copia sanguinis mittendi sit conditioni tam ægri quam morbi scienter accommodata. Vitalem humorem elicere cum neque morbus tale requirat remedium, nec æger tenerrimus talem jacturam pati possit, non est morbum mederi; sed potius temere mortem approperare.

Quoniam pauxillum sanguinis ex ipsa parte inflammata, aut certe quam proxima, detractum, æque ad inflammationem resolvendam valet, atque major copia ex brachio; oportet, iis hydrocephalo incipiente laborantibus, arteriam alterutrius temporum, vel alterutram externam juguli venam feriendo, opem auxiliumque conferre. Quin sanguis his partibus amissus æque ad inflammationem discutiendam possit, et minus infirmet corpus, vix dubium videtur. Si vero, ad

caput levandum, ex vena aut arteria scalpello incisis, sanguinem mitti vires non patiuntur, ad cucurbitulas cum ferro, aut hirudines, est confugiendum; nam hoc auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum, neque unquam periculosum.

Capitis Exulceratio,—per totum morbi decursum aptum remedium videtur. Morbo enim ingruente, inflammationem internam aliquatenus sublevat, et, confirmato, suaque stadia ultima agente, serum ex vicinis vasis eliciendo, humorem in cerebro effusum, ex parte forsitan derivat.

Purgatio.—Quum Apoplexia Hydrocephalica laborantibus, alvus plerumque perquam torpida sit, eam citare, tum medicamentis catharticis tum crebra ductione, subinde necessarium est. Medicamenta hujusmodi non solum alvum moveant, atque eam vermibus aliisque irritantibus exonerant, sed etiam sanguinem ad intestina derivando, inflammationi cerebrum afficienti obviam sunt: hinc dolorem capitis sublevant, et forsitan impediunt, quo minus aqua ex arteriis in cerebrum exhalatur, sensumque omnem soporet.

Inter medicamenta cathartica, submurias hydrargyri palmam meruit; nam et alvum movet, sanguinem aliosque humores versus intestina derivat, et vasis lacteis resorptus per totum corpus effectus hydrargyro proprios edit. De hoc remedio laudando, licet mihi citare verba auctoris qui ægris hoc morbo decumbentibus multum versatus fuit: "Of all the medicines *," ait ille, "which have been highly praised for the acute Hydrocephalus, calomel is the most efficacious. In the turgescence, at the beginning of the inflammatory stage, I may almost call it a specific: it excites, as it were, an abdominal, or an intestinal ptyalism, loosens the coagulating power of the lymph, and lessens, by the action which it excites in the alimentary canal the orgaism in the head; awakes more activity in the ends of the serous vessels, by which absorption is increased, and, according to my experience, makes all other purgatives for the most part needless."

Refrigeratio. — Inflammationi quoque quæ

---

* Vid. Treatise on Acute Hydrocephalus by Arath. Golis, p. 107.

morbum incipientem comitatur, subveniendum est, caput ad cutem tonsum, et collum linteis aqua et aceto madentibus sedulo refrigerando, nisi vetet sudor in his partibus ortus.

Positura.—Caput, quantum pati possit æger, pulvinis elevandum est; nam sic in id sanguis ex sinistro corde per arterias parcius languidiusque diffunditur, et ex eo per venas in cor dextrum expeditius refluit.

Prosunt fortasse quoque epispastica et rubefacientia, diversis corporis partibus, veluti nuchæ cruribusque admota; nam eorum usu sanguis, aliique humores, qui copia plus justa ad caput refluunt, aliorsum alliciuntur.

Consilium Secundum.

MEDICI varia proposuerunt medicamenta, quibus humor, qui effusus cerebrum opprimat, eliciatur. Horum vero nostris temporibus, ad hunc finem implendum longe efficacissimum habetur hydrargyrus, qui resorptione favendo, aliis hydropicis multum levaminis vel etiam sanationem per-

fectam sæpe refert. Hoc autem præstantissimum auxilium ad nostrum hostem debellandum vocatum, raro bonis militavit avibus, et sæpissime ex acie victum decedere cogitur.

Quam inefficax ad hydrocephalum sanandum hydrargyrus sit, satis superque ostendunt infausta de eo pericula a MONRO Secundo facta *.

Quanquam Hydrargyrus plerumque fallax, cum vero, ut nos certiores faciunt auctores multi, interdum, vel salivam movendo vel alvum, optato respondeat, semper periclitandus est; nam in morbis acutis, quibus spatium, inter quod prosit medicina, admodum breve ac fugax est, satius erit, potius anceps quam nullum remedium experiri. Quocirca, quam primum morbus sesse prodiderit, nulla mora, cum in ventriculum assumendus est, et summæ cuti diligenter infricandus, ac in ejus usu, perseverandum est, donec gingivæ intumescant, et ex ore saliva fluere incipiat. Fieri enim potest, ut hydrargyrus, cum eo usque corpus efficerit, non præstet modo, ut effusus humor exsorbeatur, verum etiam ut tumores cerebri, siqui morbum moverint, vel comitentur, tandem discutiantur.

Quoniam iis hoc morbo implicitis hydrargyrus

* Vid. MONRO on the Brain, p. 62.

E

vix salivam movere possit, rati nonnulli medici quod æger, qui in ejus usu ad salivationem perstiterit, sanitatem recuperabit. Huic vero opinioni objicitur, hydrargyrum haud raro adhibitum esse, usquequo salivam moveret, neque tamen morbum sanasse, et contra, nonnunquam, etsi os gingivasque non afficeret, ægrum ad bonam valetudinem perduxisse.

Diuretica.—Medicamenta vel remedia urinam moventia, quippe quæ data nihil levaminis attulerint, nostris temporibus prorsus desueverunt.

De Digitale purpurea non decet silere; utrum vero iis medicamentis, quæ ad inflammationem discutiendam adhibentur, an iis quæ effusi humoris absorptioni favent, rectius annumeretur, haud satis constat. Mira facultate, qua gaudet, vim arteriarum sedandi, hoc medicamentum multum ad inflammationes digerendas pollet; et quum inertia vasa bibula, mirum in modum, incitet, videtur efficacissimum, ad ea stimulanda, quo effusos humores resorbeant. Vix dubium est, quin digitalis purpurea, modo, tempore opportuno, et copia ægro apta, assumatur, Apoplexiæ Hydrocephalicæ tum incipienti tum invalenti interdum opituletur. In secundo vero morbi spatio ubi arte-

riæ jam tardius micent, nemo medicorum nisi imperitissimus quispiam, ægro digitalem præbuerit. At Golis * nos certiores facit, quod hoc medicamentum, morbo ultimum spatium agenti, etiam prodest; nam convulsiones quæ adsint immanes admodum sublevat, ægro placidiorem decessum ad mortem conciliat.

Cortex Cinchonæ, Opium et Vinum.—Hæc sub finem, ut suadet Rushius, usurpanda sunt, ut vires superstites sustineantur. Prosint vero, necne, talia medicamenta, nondum experientia satis constat.

Vomitoria.—Medicamenta vomitum excitantia ad humores effusos exhauriendos interdum adhibentur; memoria vero a medicis tenendum est, in omnibus morbis in quibus sanguis in cerebrum justo copiosius impellitur, vomitum minime convenire, nam eos adeo non levet, ut graviores reddat. In hydrocephalo recente igitur nocet vomitio, quippe quæ in cerebrum sanguinem vehementius impellit; neque in provecto aut inveterato convenit, quoniam vires ægri jam nimis exhaustas amplius absumit.

Sudorifica. — An sudorem moventia iis qui Hydrocephalo plectuntur, multum proficiant,

* Vid. Golis in libro jam citato, pag. 141.

nondum satis constat. Æger memoratur *, sed an hoc morbo laboraret dubium est, cui vaporarium, sudorem movendo, multum levaminis præbuit. GREGORIUS quoque suos auditores certiores fecit, quod aliquis jam ex hydrocephalo strabo, per sudationem, eo curante, oculos sicut sanus, saltem ex parte, dirigendi compos evasit, præterea autem nihil commodi accepit. Nequis, cujus frater aut soror Apoplexia Hydrocephalica mortuus sit, eodem correptus morbo pereat; oportet cavere, ne corpus, præsertim caput, nimis impleatur; ad quem finem conducunt parca diæta, concoctu facilis, alvus potius soluta, lenis et modica exercitatio quotidie; vel, quod fortasse plus valet, setacea, aut fonticuli in parte capiti quam proxima facta, nunquam siccandi, aut sanandi, donec ætas, qua obrepit morbus, præteriverit. Medicus mihi amicus narrat de quadam familia honesta, cujus libri natu maximi sex eadem fere ætate deinceps hoc morbo mortui sint; at octo (ni memoria fallor) qui exinde nati sunt, in quibus sub tempore ætatis periculoso fonticuli nuchæ et brachio facti erant, omnes morbo incolumes evaserunt.

---

* DUNCAN's Med. Comment. vol. viii.

FINIS.